



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Origines ac
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt XXV. Maloniense Monasterium, in dioecesi Leodiensi, propè
Namurcum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11321

reformatæ Congregationis Aroasiensis : de qua suprâ cap. 10. diximus.

CAPVT XXV.

*MALONIENSE MONASTERIVM,
in diœcesi Leodiensi, propè Namur-
cum.*

S Bertuinus Episcopus ex Hibernia veniēs in saltū, qui vulgò appellatur Marlignia, condidit oratorium in villa Malonia, ad Sabim, vulgò Sambram, in honorem semper virginis Mariæ. Vbi diu Deo militās cursum suū feliciter impleuit. Fuerat in Anglia educatus in Monasterio, cui nomen est *Othbellum*, & in eiusdem parochiæ Episcopum vacante sede, assumptus. Sed diuina monitione Romam abiit, ibique duos annos solitarius exegit : deindè in Gallias ad Sambram commigravit, vbi eruditionis suę radijs tenebras expulit peruersitatis. Cuius virtutes admiratus Odoarius Princeps, Floreffiæ residens, easdem Pipino commendauit, qui Sancto viro villas quinque in voti sui propositum concessit. Ob quam donationem cum quinque pingitur Ecclesijs. Quiescit propè Namurcum, in ditione tamen & diœcesi Leodiensi, in monasterio Canoniorum siue Clericorum veteris instituti Sancti Augustini, quod Malonia dicitur ; vbi diu Domino militauit.

litavit. Meminit eius Sigebertus: Anno 651. multi de Anglia vel Scotia in Gallijs peregrinātes, verbum Dei seminabant, multumq; fructum Deo faciebant, scilicet, Otto, Bertuinus, Eloquius. Ita Molanus in Natalibus SS. Belgij.

CAPVT XXVI.

CHIEMSEENSE MONASTERIVM,
*Hernvverd, olim in der Ar/ oder Pfaffen-
 werd/in prouincia Salisburgensi, & in
 diœcesi Chiemensi, nisi
 fallor.*

DE huius monasterij fundatione scribit Auentinus, & adfert Arnulphi Regis diploma, in quo dicitur Arnolphum, hunc Regem monasterium istud, vel Abbatiam S. Saluatoris cum Episcopo Metensi, cui ab antiquis Principibus Bauariæ datum erat pro Abbatia Luxouium dicta, commutauisse, & Archiepiscopo Salisburgensi Diethmaro tradidisse, vt illic pro anima genitoris sui Carolomanni suaque annuatim per omne tempus anniuersarij commemoratio in eleemosynarum largitate & pauperum cura peragatur, diplomate anno 891. Ratisbonæ dato. Otto 891. deinde Imperator plenariè tradidit hanc Abbatiam Friderico Archiepiscopo Salisburgensi, qui fuit Comes à Kiemgen, anno 969.

Auen-